UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 14. Ejusdem lucubrationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67615

Visual Library

Sæc. XVIII. A. C. 1713.

Thomaſius inter Venerabiles Dei Servos, ac de ejus Beatificatione adhuc conſulitur, ipſeque Benedictus XIV. dum adhuc fidei Promotorem ageret, Cauſſæ commiſſionem de ejus Beatificatione ſignabat. Clemens vero Papa die trigeſima Januarii habito Purpuratorum Senatu digniſſimi hujus Cardinalis mortem deplorans, ajebat: *Nec diſſimulare poſſumus, ceteris acerbiorem Nobis accidiſſe noviſſimam omnium, quam fecimus, eximii ac piiſſimi Viri Cardinalis Thomaſii jacturam; moleſte ſiquidem ſenſimus, nimia celeritate Nobis ereptum fuiſſe verum exemplar ſanctioris veteris diſciplinæ, quod in ejus moribus, & Doctrina ſuſpiciebamus.*

## §. XIV.

### *Hujus Cardinalis opera.*

Erat hic Cardinalis ingenio acutus, memoria felix, in omnigena eruditione profundus, adeo abjecte tamen de ſeipſo ſentiebat, omnemque ſcientiæ laudem abhorrebat, ut fere nunquam in quacumque quæſtione ſuam proferret ſententiam, ſed duntaxat fontes aperiret, & dicta Patrum, unde quæſtio dirimeretur, oſtenderet, ac fere nunquam ſuo, ſed alieno *M. Cari Presbyteri Theologi* nomine libros ederet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ret. Hos inter maximo Romæ plauſu excipiebantur ejusdem *Inſtitutiones Theologicæ antiquorum Patrum, quæ aperto ſermone exponunt breviter Theologiam, ſive Theoreticam, ſive practicam.* Scripſit quoque Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores, Pſalterium juxta duplicem editionem Romanam & Gallicam cum canticis, Hymnis, & Orationali: aliud Pſalterium cum orationibus, & Canticis priſco more diſtinctum: Sacrorum Bibliorum titulos ſive capitula ante annos mille in Occidente uſitata: Reſponſorialia, & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ a S. Gregorio M. diſpoſita, cum appendice monumentorum veterum, & cum ſcholiis. Antiquos libros Miſſarum Romanæ Eccleſiæ, id eſt, Antiphonarium S. Gregorii Papæ &c. Officium Dominicæ Paſſionis feria ſexta Paraſceve ſecundum ritum Græcorum, nunc primo latine redditum. Indiculum Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum. Diſſertationes de fermento Euchariſtico, Speculum S. Auguſtini, Veram normam Deum glorificandi, Breve compendium Pſalmorum, Conſtitutiones Monialium Palmæ Ord. S. Benedicti. Succinctam Inſtructionem de modo aſſiſtendi Sacrificio Miſſæ, epiſtolam ad Viſitatores Monaſteriorum, Of-

Sæc. XVIII.
A. C. 1713.

Sæc. XVIII
A. C. 1713.

ficium proprium S. Gaudentii Ariminenſis Epiſcopi, Novum Miſſale recognitum, atque emendatum, Exercitia quotidiana, aliaque opuſcula ad excitandam fidelium pietatem accommoda.

## §. XV.

### *Joannis Franciſci Negronii Cardinalis extrema.*

*Vit. Card.* t. 1. p. 177. *Guarnac. Vet. Pontif.* t. 1. p. 282.

Ingens quoque ſacri Collegii decus & ornamentum erat Joannes Franciſcus Negronius, Genuenſis Patricius, qui humanioribus literis in patria inſtitutus, Peruſii utriusque jurisprudentiæ lauream adeptus eſt, inde Romam evocatus, ſub Alexandro VII. Proto-Notarius, & utriusque Signaturæ Referendarius, ac plurium civitatum Gubernator renuntiabatur. Evecto autem ad Petri Cathedram Innocentio XI. Theſaurarius Generalis Anno 1681. nominatus hoc officium, cum aliunde mira rerum gerendarum dexteritate, ac parſimoniæ ſtudio polleret, non ſine maximo Apoſtolici ærarii proventu obibat: Quinto poſt anno Cardinalis Diaconus, Faventinus Epiſcopus, ac demum Bononienſis Legatus decernebatur: tanto tamen juſtitiæ Zelo ardebat, ut magna ſeveritate uſus,

Ma-